

Text

(I) Utrum in universo secundum optimam sui dispositionem sit dare unum monarcham, qui presideat omnibus temporalibus et nulli temporaliter subsit, videtur quod sic, quia pro tempore nativitatis Christi universum fuit in optima dispositione secundum illud Psalmi 71: orietur in diebus eius iusticia et habundantia pacis¹⁾. Set in tempore nativitatis^{a)} Christi fuit unus monarcha in universo mundo, qui nulli fuit temporaliter subiectus scilicet Cesar Augustus, de quo habetur Luce 2^o 2). Ergo in optima dispositione universi est talem principem nulli subiectum reperire. Contra quia dispositio universi tunc est optima, quando gubernatur lege divina. Set quando Deus ordinavit regna, a principio instituit, ut^{b)} reges subessent sacerdotibus, ut patet 1. Regum 7. 10. capitulo et ultra^{c)} 3), ubi Saul subiciebatur Samueli non solum in sua institutione, set etiam in regni gubernatione. Ergo in optima universi dispositione non est dare principem non subiectum.

(II) Circa questionem primo^{d)} negociandum est erga verborum significationem^{e)}, secundo circa rerum investigationem. Quantum ad primam partem oportet declarare quatuor terminos positos in titulo questionis.

(1) Primus terminus est universum. Per universum intelligitur hic universum non simpliciter secundum quod continet celum et terram, quia constat quod in universo sic accepto nullus temporaliter principatur, sed accipitur hic universum pro toto orbe terrarum secundum quod ab hominibus habitatur, sicut loquitur apostolus ad Ephesios 6: non est colluctatio adversus carnem et sanguinem sed adversus principes et potestates^{f)} scilicet mundi rectores tenebrarum harum⁴⁾, ubi dicit beatus Augustinus, quod addidit apostolus tenebrarum harum, ne per principes mundi intelligeremus rectores celi et terre.

Secundus terminus est optima dispositio. Per optimam dispositionem universi non intelligitur hic dispositio optimi universi secundum quemcumque statum ut puta^{g)} secundum statum innocencie, qui fuit optimus ex parte temporis preteriti, aut quantum ad statum innovationis future, qui^{h)} erit optimus post iudicium, sicut docet beatus Augustinus de

a) in nativitate P 1. b) fehlt P 2. c) ultimo P 1. d) fehlt P 1.
e) dahinter primo P 1. f) dahinter tenebrarum harum P 1. g) pote P 2.
h) qui status P 1.

1) Ps. 71, 6.

2) Luc. 2, 1.

3) Statt Kap. 7 ist offenbar 8 gemeint.

4) Eph. 6, 12.